



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De sancti Constantini Imperatoris obitu. Cap. XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

THEODORITI HISTOR.

Pro eodem Imperatore defensio. CAP. XXXIII.

Nemini certè mirum videri debet, quòd imperator in fraudem illectus, tam illustres viros solum vertere coegit. Nam fidem adhibuit episcopis, qui occultate studebant veritatem, illustrem quandã vitæ speciem præ se ferentes, qua imperatorem dolo deluserunt. Neque sanè eos fugit, qui sunt in sacris literis eruditi, Dauidem prophetam reuera deceptum fuisse. Quem non pontifex, sed verba & verbera (Sibam dico, qui falsum crimen contra Miphiboseth detulit ad regem illiusq; agrum, suum ita reddidit) veteratoriè circumuenit. Atque ista quidem dico, non quòd prophetam infimulem, sed quo pro imperatore respondeat ostendamq; humanæ naturæ imbecillitatem, & docteam simul non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides, sed alteram aurem integram seruandam reo.

Reg. 2. c.
16.

De sancti Constantini Imperatoris obitu.

CAP. XXXIII.

Postea verò quàm Imperator ex hoc terrestri regno ad alterum multo præstabilius translatus fuit, præfecti, duces, & reliqui omnes illustres viri, eius corpus in loculo aureo repositum Constantinopolim deportant: quod quidem milites omnes comitantur, partim antecedentes, partim subsequentes, seque tam præclaro imperatore orbitos grauius lamentantur. Nam eum sibi patris benignissimi loco fuisse pro certo compererant. Quod autè ad corpus eius attinet, quantum honoris interim illi delatum sit, quanto temporis spatio, dum principes viri filij reditum expectarent, in palatio manserit, literis persequi nõ necesse arbitror, præsertim cum alij eadem scriptis mandarint: quorũ libros quisq; pro arbitrato legere poterit, indeq; cognoscere, quibus præmijs quamque honorificis rerũ vniuersarum moderator Deus famulos sibi beneuolos remuneretur. Quibus si quisquã minime fidẽ habeat, cũ magnifica illa opera, quæ circa eius sepulchrum, & statuam hodie cernuntur, oculis aspexerit, credat saltem sacris literis, & domino dicenti: glorificantes me glorifico, & qui me spernuunt, ipsi quoq; iperimentur.

1. Re. 5. 2.

Finis primi libri.